

Pour réviser vos déclinaisons latines avec les macrons, utilisez le tableau que nous fournissons ici :

- <https://www.lettresclassiques.fr/2022/05/01/les-declinaisons-latines/>

Pour les conjugaisons, référez-vous aux deux tableaux suivants :

- <https://www.lettresclassiques.fr/2022/05/01/conjugaison-de-linfectum-latin/>
- <https://www.lettresclassiques.fr/2022/05/01/la-conjugaison-du-perfectum-latin/>

Lorsque nous écrivons *éjus* ou *Troja*, c'est pour indiquer qu'en réalité le yod est doublé : les Latins prononçaient *ejjus*, *Trojja*. De même, *hiê* était généralement prononcé *hicc*.

On trouvera un bel enregistrement des deux premiers chapitres, par *Valentinus Albigēnsis* ici :

- <https://podcasters.spotify.com/pod/lingualatina/episodes/Circulus-latnus-Albign-sis--D-aenigmatibus-e2octp>

Epitomē Historiæ Græcæ

*de Charles Georġin & Henri Berthaut,
macronis e et tr s l g rement r vis e
par Nicolas Lakshmanan-Minet*

LES ORIGINES

I La Gr ce

D clinaisons et adjectifs

1. Gr cia est p ninsula, sita in extr m  Eur p , prope Asiam.

2. Mult  insul  vicin  sunt Gr ci ; maxima et proxima est Eub a.

3. Pauc  fluvii rigant regi nem. Ilissus est pr cipu  includus; nam in Attic  est, haud procul ab Ath n s, cl rissima Gr c rum urbium.

4. Sunt in terr  ill  alti mont s : n tissim  sunt Olympus, in Thessali  situs, et Parnassus, situs in Ph cide. Nam dii in Olymp  habit bant, in Parnass  Apoll  et M s .

5. Solum terræ est dūrum, lapidōsum, siccum, et ideō parum fēcundum.

6. Sunt tamen in Græciā amœnæ vallēs et fontēs limpidi.

7. In Græciā nōnnūllæ prōvinciæ erant : in septentrionālibus partibus, Thessalia; in mediō, Acarnānia, Ætōlia, Bœōtia, Attica; in meridiōnālibus partibus, Achāia, Arcadia, Messēnia, Lacōnia.

II

Les premiers habitants de la Grèce

Parfait de amō

1. Græcī Pelasgōs nōmināverunt primōs terræ suæ incolās.

2. Pelasgī palūdēs siccāverunt et primās urbēs ædificāverunt.

3. Dēinde Hellenēs Pelasgōs superāverunt et regiōnī imperāverunt.

4. Primī Hellenēs fuerunt Achæi, conditōrēs validōrum oppidōrum.

5. Mycēnæ fuerunt præcipuum illōrum oppidōrum. Exstant etiam nunc admīrandæ reliquiæ

Mycēnārum : porta leōnum, tumulī rēgum, permulta aurea ōrnāmenta et arma.

6. At Dōriū rūsus in Græciam penetrāverunt.

7. Dōriōrum gēns fera et sæva tōtam regiōnem vastāvit, cremāvit urbīs¹, Achæōs fugāvit.

8. Tunc magna Achæōrum multitudō in litora Asiæ Minōris migrāvit et in illam regiōnem mōrēs et artēs trānsportāvit.

9. Sic Achæi hūmānum cultum servāverunt et cōfirmāverunt, quī posteā in Græciam commeāvit et mīrōs prōcreāvit fētūs.

III Les dieux

Sum et ses composés

1. Multās dē diīs fābulās poētæ Græcī nārrāverunt.

1. Urbīs est l'accusatif pluriel de *urbs, urbis, urbium*. Les noms de la 3^e déclinaison dont le thème est en -i-, appelés traditionnellement « parisyllabiques » connaissent deux formes d'accusatif différentes : en -ēs ou en -īs. On peut écrire *urbēs* ou *urbīs* ; mais l'avantage de la seconde forme est qu'elle est univoque : le lecteur peut être certain, quand il la rencontre, qu'il s'agit d'un accusatif pluriel.

2. Antīquissimī diī fuerunt Terra et Cælum; at Sātūrnus ē rēgnō Cælum dēturbāvit et fuit rēx.

3. Sātūrnus autem tæter fuit tyrannus: nam liberōs omnīs vorāvit. Ūnum tamen, Jovem, Rhēa māter dolō servāvit et in Crētæ montibus sēcrētō ēducāvit.

4. Juppiter rūrsus Sātūrnū patrem ē rēgnō pulsāvit; at Tītānēs adversus novum mundi dominum rebellāverunt. Eōs autem Juppiter superāvit et præcipitāvit in Tartarum.

5. Tunc Juppiter quiētē in tōtō mundō rēgnāvit et fuit præcipuus Græcōrum deus.

6. Præerat fulminī, ventīs, pluviīs, atque erat etiam deus sapientiæ et jūstitiæ.

7. Cum Jove Jūnō uxor in cælō rēgnābat; in terrā mātrimōniīs præerat.

IV Les dieux (suite)

(mêmes règles)

1. Mercurius et Diāna et Apollō liberī Jovis et Jūnōnis erant.

2. Mercurius erat ālipēs Jovis nūntius, et cādūceum manū portābat; præerat ēloquentiæ et commerciō.

3. Diānā dea lūnæ in cælō erat ; in terrīs, vĕnātrīcis habitū, ferās exagitābat et argenteō arcū necābat.

4. Apollō erat deus sōlis et mūsicæ, Mūsārum magister, poētārum patrōnus.

5. Mārs bellō et armīs præerat, Bacchus convīviis et vīnō.

6. Neptūnus, frāter Jovis, imperābat marī, Plūtō īferīs.

7. Vulcānus dĕnique ignis erat deus et in officīnis Ætnæ seu fulmina Jovis seu arma hĕrōum fabricābātur.

8. Aliās deās Græcī adōrābant, præcipuē Minervam, bellī et pācis artium deam ; Cererem, quæ agricultūræ præerat ; Venerem, pulchritūdinis deam et mātrem Grātiārum.

9. Chorus Mūsārum deōs et deās cantibus dēlectābat.

10. Novem Mūsæ, filiæ Jovis et Mnĕmosynæ, in Parnassō et in Helicōne habitābant. Inlūtissimæ eārum sunt Melpomenē, dea tragœdiæ, et Thalīa, dea cōmœdiæ.

V

Les héros. Les demi-dieux.

Noms de nombre

1. Hērōas Græcī vocābant virōs, filiōs deī et mulieris et virī et deæ.

2. Trēs sunt præsertim clārī : Herculēs, Thēseus, Jāsōn.

3. Herculi duodecim labōrēs Jūnōnis ira imperāverat; at rōbur hērōis omnia perīcula superāvit.

4. Necāvit leōnem Nemææ silvæ; obtruncāvit h̄ydrā Lernæam, aprum Erymanthī montis cēpit, cursū superāvit cervam aēneīs pedibus præditam, avēs Stymphālī lacūs jaculīs perforāvit.

5. Dein Gēryonēm suffōcāvit, pūrgāvit stabula Augiæ rēgis, rapuit aurea māla hortī Hesperidum, aperuit fretum Gādītānum, fēliciter certāvit cum Antæō, filiō Terræ; Promēthēum, in Caucasō monte vinculis ahēnīs religātum, liberāvit. Postrēmō in Īferōs penetrāvit; domuit canem Cerberum Thēseumque in terram redūxit.

6. Thēseus Ægēī, Athēniēnsium rēgis, erat filius, et æmulus comesque Herculis.

7. Inter alia facinora Mīnōtaurum, in Labyrinthō inclūsum, trucidāvit.

8. Jāsōn, auxiliō Mēdēæ, Colchōrum rēgis filiæ, aureum vellus ēripuit.

VI

La guerre de Troie

Récapitulation des formes précédemment vues

1. Græcī adversus Trojā bellāverunt propter Helenæ raptum.

2. Helenam, uxōrem Menelāi, Spartānōrum rēgis, rapuit Paris, filius Priamī, Trōjānōrum rēgis.

3. Græcōrum ducēs Menelāum adjūverunt inultiōne injūriæ; clārissimī sunt Achillēs et Ulixēs.

4. Omnī exercituī imperāvit Agamemnōn, Menelāi frāter, rēx Mycēnēnsium.

5. At classem ventī adversī in portū retinuerunt.

6. Tunc Agamemnōn deōrum iram plācāvit sacrificiō Īphigeniæ, filiæ suæ.

7. Sic Græcī in Asiam pervēnerunt et Trojā frūstrā per decem annōs oppugnāverunt.

8. Nam Hector, filius alius Priamī, urbem fortiter dēfendit.

VII

La guerre de Troie (suite)

(Mêmes règles)

1. Achillēs, Agamemnonis injūriā offēnsus, in tabernāculum suum sēcessit, et Græcōs, ā tantō duce dērelictōs, Hector prōfligāvit.

2. At Patroclum, Achillis amīcum, trucidāvit; et Achillēs furēns Hectorem ad pugnam prōvocāvit et necāvit.

3. Paris tamen Achillem sagittā mortifere vulnerāvit.

4. Postrēmō Græcī dolum fēlicem excōgitāverunt. Ædificāverunt equum ligneum, et, inclūsī in ejus alvō, fortissimī ducēs intrā mœnia penetrāverunt et noctū portās reserāverunt reliquō exercituī.

5. Sic Græcī urbem expugnāverunt. Priamum et Priamī filiōs jugulāverunt; Hecubam, Priamī uxōrem, et Andromachēn, Hectoris uxōrem, captivās abdūxerunt; dēnique Trōjam æquāverunt solō.

6. Reditum Græcōrum ducum variī cāsūs nōbilitāverunt.

7. Clārissima est Ulixis fortūna.

8. Ulixēs enim per terrās et maria decem annōs errāvit, et multa tolerāvit mala, attamen in Ithacam patriam tandem remigrāvit.

LES DÉBUTS D'ATHÈNES ET DE SPARTE

VIII Lycurgue et Sparte

Pronoms-adjectifs

1. Spartā, seu Lacedæmōn, Lacōniæ caput, erat sita haud procul ab Eurōtā flūmine

2. Hanc urbem prærupti montēs undique circum-dabant.

3. Spartānī, ferā indole et mīrā fortitūdine præditī, omnīs regiōnis incolās superāverant et spoliāverant.

4. Vexāverant præsertim Hilōtās, quōs gravissimā servitūte opprimēbant.

5. Prīncipiō rēgēs Spartānīs imperāverunt. Dein Lycūrgus cīvitātis statum mūtāvit, nōn sine difficultate.

6. Nam is vir, quī cīvibus æqua jūra dare tentāverat, potentium invidiam excitāvit, et exsulāvit.

7. Multās urbīs et regiōnēs tunc peragrāvit et hominum mōrēs inspexit.

8. Tandem cīvēs eum revocāverunt, et Lycūrgus lēgēs Spartānīs dedit.

IX Les lois de Lycurgue

(Mêmes règles)

1. Hīs lēgibus puerōs virilī disciplīnā educāvit. Iī enim in terrā cubābant, simpliciter cēnābant, famem, dolōrem, vulnera sine gemitū tolerābant.

2. Puer quīdam vulpēculam vīvam subriperat et sub veste cēlābat. Ea ventrem fūris dentibus et unguibus dilacerābat.

3. Puer tamen nōn lacrimāvit, sed intrepidē tolerāvit acūtissimum dolōrem : nam Spartānī turpe exīstimābant nōn fūrtum, sed cōfessiōnem fūrti.

4. Lycūrgus adulēscētis ad mīlitiam cursū, saltū, luctātiōne, pugilatū, omnibus dēnique corporis exercitātiōnibus infōrmāvit.

5. Lacedæmoniīs commūnis epulās Lycūrgus instituit, quās vocāvit φιλίτια.

6. In hīs epulis famem jūre illō nigrō sēdābant, quod historici nōbilitāverunt.

7. Diē quōdam, Dionysius, Syracūsārum tyrannus, Lacedæmone cēnabat. Appositus est hi cibus, qui tyrannum nōn dēlectāvit.

8. Tunc coquus exclāmāvit : « Nōn est mīrum ; condimenta enim dēfuerunt. »

9. Dionysius eum interrogāvit : « Quæ sunt ea condimenta ? » Alter autem respondit : « Labor in vēnātū, sūdor, cursus, famēs, sītis. »

X

Les lois de Lycurgue (suite)

(Mêmes règles)

1. Maxima Lacedæmoniīs fuit senum reverentia.

2. Dē illā rē hęc fābula mānāvit.

3. Athēnīs ōlim senex in theātrō locum nōn inveniēbat.

4. Nēmō adsurrēxit, præter Lacedæmoniōs lēgātōs, quī sēdem eī dederunt.

5. Lycūrgus lēgum suārum sevērītātem nōn ignōrābat, cīvium autem obŒdentiam sic firmāvit.

6. Convocāvit ūniversum populum et ea verba prōnūntiāvit : « Discēdam mox Delphōs ad cōnsulendum Apollinis Pŷthiī ōrāculum. Nōlite mūtāre quicquam dē meis lēgibus ante reditum meum. »

7. Jūrāverunt cīvēs. Lycūrgus vērō discessit et Delphīs Apollinī sacrificāvit et inediā vītam fīniit.

XI Athènes ; Solon

Pronoms-adjectifs (suite), amō

1. Cēcrops Ægyptius pīmus Athēnīs rēgnāvit.

2. Post multōs rēgēs, Thēseus rēgnum tenuit et post longa sæcula Cōdrus.

3. Cōdrus voluntāriā morte patriam hostium victricem fēcit.

4. Post Cōdrum, nēmō Athēnīs rēgnāvit, et annuī magistrātūs repūblicam administrāverunt.

5. At nullæ tunc lēgēs erant cīvitātī.

6. Iīs autem temporibus, vir, nōmine Solōn, jūstitiā flōrēbat.

7. Ille cīvitātem æquīs lēgibus ōrnāvit, senātum creāvit, Arēopagum ad jūdiariū mūnus redēgit.

8. Pauperēs cum dīvitibus reconciliāvit et concordiam inter cīvēs firmāvit.

9. Idem pulchrīs versibus lēgum reverentiam et mōrum sānctitātem docuit.

XII

Pisistrate et ses fils

(Mêmes règles)

1. Posteā, Pīsistratus tyrannidem occupāvit; bis exsulāvit, sed rēgnāvit vīginti annōs.

2. Hipparchus et Hippīās, ejūs filiī, crudēlitāte suā, in sē odium cīvium concitāverunt.

3. Tyrannōrum illōrum morte Harmodius et Aris- togitōn patriam liberāre cōstituerunt.

4. At Hipparchum ūnum trucidāverunt; Harmodium vērō ipsum necāverunt Hippiæ satellitēs.

5. Tyrannus superstes Aristogitōnī imperāvit : « Indicā mihi sociōs tuōs. »

6. Tunc Aristogitōn omnīs Hippiæ amīcōs nōmināvit, quōs is morte extemplō adfēcit.

7. Deinde Hippiās interrogāvit : « Suntne aliī sontēs? »

8. Juvenis tyrannō respondit : « Nūllus superest prāter tē, quī amīcōs optimōs necāvistī. »

9. Athēniēnsēs vērō mox extermināverunt Hippiam, quī ad Dārīum, Persārum rēgem, cōnfūgit, et postea adversus patriam bellāvit.

LES GUERRES MÉDIQUES

XIII

Première guerre médique : bataille de Marathon (490 av. J.-C.)

Verbe deleō

1. Dārīus, Persārum rēx, quī imperiō maximō imperābat, Græciam ipsam domāre tentāvit.

2. Dedit eī occāsiōnem bellandī Milēsiōrum sēditio.

3. Iī enim adversus Persās rebellāverunt et Athēniēnsīs ad auxilium dēvocāverunt; vērūm Persæ tandem reportāverunt victōriam.

4. Tunc Dārīus, ultiōnis cupidus, magnam expediōnem parat contrā Athēniēnsēs.

5. Congregat ducenta peditum milia et decem milia equitum et in Atticā prope Marathōnem cōpiās expōnit.

6. Athēniēnsibus decem tantum milia militum erant, quibus præerant decem ducēs.

7. Ūnus ex iīs ducibus, Miltiadēs, incertōs comitēs ad discrīmen pugnæ addūxit.

8. Audāciam ējus fortūna adjūvit; nam Athēniēnsēs Persās fūderunt et ad mare reppulerunt.

9. Inclutus est ille Marathōnius mīles, quī, post pugnam, Athēnās celeriter accurrit, exclāmāvit aegrē : « Gaudēte, victōrēs sumus! », et exanimis cecidit.

10. Hæc victōria Græcōrum animōs magnopere mōvit.

11. Nam Athēniēnsēs ferē sōlī Magnī Rēgis exercitum fugāverant et sīc urbem et Græciam tōtam servāverant.

12. Præclārum illud facinus Athēniēnsium animōs et dignitātem auxit.

XIV

Deuxième guerre médique : préparatifs de Xerxès

Verbes legō et capiō

1. Dārīum clādēs illa nōn frēgerat; nam extemplō dē novō bellō cōgitāvit.

2. Dēcessit autem immātūrē; Xerxēs autem, filius ējus et successor, in inceptō permānsit.

3. Sēserunt id Athēniēnsēs et dēfēnsiōnem parāverunt.

4. Themistoclis cōnsiliō, prævalidam classem cōnstrūxerunt.

5. Xerxēs vērō formidandōs bellī apparātūs fēcit.

6. Coēgit enim mille et ducentās nāvēs longās et tria mīlia nāvium onerāriārum.

7. Terrestrēs autem cōpiæ septingenta mīlia pedum et equitum quadringenta mīlia continēbant.

8. Omnēs Persicī imperiū regiōnēs mīserant militēs : Indī, Ārabēs, Æthiopēs, Assyriū, Mēdī, Lȳdī, sub signīs Xerxīs militābant.

9. Prætereā grandem pecūniam inter Græcās urbēs distribuit et sic nōnnūllās ad dēditiōnem compulit.

XV

Les Thermopyles

(Mêmes règles)

1. At Lacedæmonii et Athēniēnsēs mortem dēdecorī anteposuerunt et dēcrēverunt rēgī resistere.

2. Xerxēs terrestre iter ēlēgit et ad trājiciendum exercitum super Hellēspontum pontem nāvibus effēcit.

3. Exercitus ejus per Thrāciam, Macedoniam, Thesaliā, ad saltum Thermopylārum pervēnit.

4. Hunc dēfendēbant septem mīlia Græcōrum, ē quibus trecentī Lacedæmoniī erant; omnibus iīs præerat Lacedæmonius Leōnidās.

5. Frūstrā Persæ angustiās perrumpere aliquotiēs tentāverunt : hōs semper reppulit fortissimī Græcōrum manus.

6. At prōditor, Ephialtēs nōmine, līmitem Xerxī indicāvit, per quem terga hostium circumīre rēx potuit.

7. Tunc Leōnidās dīmīsit omnīs cōpiās præter trecentōs Lacedæmoniōs, quī ad ūnum in locō occubuerunt.

XVI

Bataille de Salamine (480 av. J.-C.)

Mêmes règles

1. Inde Xerxēs mediterrāneam Græciam invāsit et mox Athēnīs appropinquāvit.

2. Athēniēnsēs vērō plērīque in īsulās conjugēs et liberōs mīserunt, ipsī in nāvīs cōnfūgerunt; paucī in Acropolī mānsērunt.

3. Xerxēs Athēnās cēpit, Acropolim occupāvit, cujus dēfēnsōrēs occīdit; omnia templa urbis cremāvit.

4. At diī mox injūriam suam vindicāverunt.

5. Nam Persārum classis cum classe Athēniēnsium apud Salamīnam īnsulam cōnflīxit et maximam accēpit clādem.

6. Xerxēs quī, aureō soliō sedēs, interitum Athēniēnsium vidēre parābat, vix nāviculā in Asiam effūgit.

XVII

Platées et Mycale (479 av. J.-C.)

Verbes legō et capiō

1. Post Persicæ classis clādem supererat terrestris exercitus, cujus dux erat Mardonius.

2. Is erat satrapēs rēgius, nātiōne Mēdus, rēgis gener, vir manū fortis et cōnsiliī plēnus.

3. Dūcēbat ducenta milia peditum, quōs virītim lēgerat, et vīgintī milia equitum.

4. Cum eō cōnflīxit apud Platæās exercitus Græcōrum, quī centum et decem milium militum fuit.

5. Tōtius exercitūs dux erat Pausaniās, rēx Lacedæmoniōrum; Athēniēnsium vērō Aristīdēs, Themistoclis æmulus.

6. Græcī Persās fugāverunt, et Mardonius ipse in præliō occubuit.

7. Hæc victōria Græciæ libertātem cōfirmāvit.

8. Eādem diē, in Asiā, sub monte Mycalē, Athēniēnsēs, quibus præerat Xanthippus, pater Periclis, nāvāle prælium commiserunt et hostīs vīcerunt.

XVIII

Fin des guerres médiques

(Mêmes règles)

1. Cōnfēcit dēnique Persicum bellum Cimōn, Miltiadis filius.

2. Is enim, apud Eurymedonta, classem hostium superāvit et cēpit.

3. Deinde sine morā cōpiās suās ex classe ēdūxit, barbarōrum maximum numerum prōstrāvit; magnam prædam coacervāvit.

4. Xerxem clādēs illa bellum dēpōnere coēgit.

5. Is fuit finis bellī Persicī, quod nōn solum fortitudinem, sed etiam rōbur Græciæ ostendit.

6. Utriusque populī fortūnam ēventūs mūtāvit. Nam post parvum tempus Græcia, quam Persæ invāserant, rūrsus adversus rēgnum Persicum arma mōvit.

LE V^e SIÈCLE AVANT J.-C.

XIX

Périclès et son siècle

1) Périclès

Verbe audiō

1. In Mēdicīs bellīs Athēniēnsium fortitudō maximam victōriæ partem pepererat. Eā tempestāte nōn solum potentissimæ et dīvitissimæ omnium Græcārum cīvitātum Athēnæ fuerunt, sed litterārum quoque et artium laude ēnituerunt. Nunquam tot excellentēs ingeniō virī simul flōruerunt.

2. Cīvitātī autem præerat vir ūnus, quī cīvilem scientiam summæ hūmānitātī, et exquisitam cōmitātem gravissimæ animī firmitātī adjungēbat. Is fuit Periclēs, Xanthippī filius : ratiōnem invēnit liberis

cīvibus imperandī et, salvā libertāte, in rēpublicā quasi rēgnandī.

3. Magnus ille vir summus etiam ōrātor fuit : suāvī ēloquentiā omnium mentīs regēbat, et animōs vinciēbat in eā cīvitāte quæ semper ōrātōribus maximam impertīvit auctōritātem.

4. Ex ærariō ingentīs pecūniās hausit in exōrnātiōnem urbis. Sic undique pulcherrima templa et monumenta ē solō simul surrēxerunt, quōrum nunc etiam ruīnæ omnium admīrātiōnem movent.

2) *Les arts.*

Mêmes règles

1. Īma in arce Minervæ erat Ōdēum, ubi Athēniēsēs poētīcæ et mūsicæ certāmina audiēbant, et Bacchī theātrum, quō conveniēbant tragicārum et cōmicārum fābulārum spectātōrēs, et Thēseī templum et Pœcilē, splendida porticus, in quā rēs ā Græcīs præclārē gestās pictōrēs effīxerant.

2. Acropolis aditus ē vastō marmoreōque vestibulō cōnstābat, cui nōmen erat Propylæa. Inde per Viam Sacram sollemnēs pompæ ad Minervæ templum longō agmine prōcēdēbant.

3. Illud deæ Athēniēsium patrōnæ templum, Parthenōn appellātum, tōtum erat marmoreum, cum

levibus et ēlegantibus columnīs, et permultīs in zōOphorīs cælātīs figurīs, quæ Panathēnaicōrum persōnās effingēbant.

4. In templō Phīdiās, clārissimus illīus ætātis fictor, Minervæ auream et eburneam statuam sculpserat; Īdem juxtā Parthenōnem ingēns ējusdem deæ signum ērēxerat. Id etiam nautæ marī advenientēs ē longinquō dispiciēbant.

5. Dēnique Erechtheī, veteris Athēnārum rēgis, templum, dēlicātum opus, venustās prō columnīs virginum prōpōnēbat statuās, quæ ædificiū tēctum sustinēbant.

6. Prætereā eādem tempestāte multōs pictōrēs numerāverunt Athēniēnsēs, et perītī artificēs nigrīs vel rubrīs vel albīs figurīs fictilia vāsa adōrnābant; multa nostrī æquālēs cum admirātiōne reppererunt.

7. Igitur, vīvente Pericle, Græcōrum artēs et Athēnārum splendor ad summum culmen vēnerunt.

3) *Les lettres*

Révision des verbes; verbes irréguliers

1. Nec minus clāræ tunc fuerunt litteræ; nam omnium generum scrīptōrēs simul flōruerunt.

2. In tragœdiâ Æschylus et Sophoclês et Eurîpidês perfecta opera reliquerunt, quæ â recentibus nostris poëtis nōn superâta sunt; nam omnia quæ sentiunt hominês reppererunt illi et expresserunt.

3. In cômœdiâ, Aristophanês suōrum cîvium rîdîcula et præsentiâ âcta acerbê irrîsit; et, audâcissimîs salibus, suâvissimam poëtici ingenîi venustâtem jūnxit.

4. Illud sæculum, quod Periclis appellâtum est, variôs historiârûm scrîptōrês — et fêstivum Hêrodotum et gravem Thûcýdidem et lûcidum Xenophontem — genuit.

5. Prætereâ, rhêtorum scholæ discipulôs omnium gentium ad êloquentiam fôrmâbant.

6. Dêniqûe jam Sôcratês sapientiæ præcepta dîvulgâbat, et Platōnem docêbat, futûrum philosophiæ prîncipem.

7. Nōn immeritō Athêniênsium urbs Græciæ et terrârûm vocâta est præceptrix.

4) *Les fêtes athéniennes*

Révision des verbes; verbes irréguliers (suite)

1. Permultî servî fabrîlia opera tractâbant: poterant igitur liberê cîvês in forō Athênârûm ôrâtōrês

audire, rēs cīvitātis administrāre, pūblicārum fēriārum voluptātēs haurire.

2. Hæ fēriæ multiplicēs erant et magnificæ. Eās dīvitēs cīvēs sua impēnsa cōstituēbant; magistrātūs regēbant. Et ipsīs pauperibus spectācula prōderant; eīs enim magistrātūs nummōs dispertiēbant, gaudendī cōpiam².

3. Splendidissima omnium fēriārum erant Panathēnaica : tum tōtus populus, canentibus tībīs et fidibus, præcēdentibus sacerdotibus et virginibus, quæ sacra in fiscinīs portābant, per urbem ad arcem Minervæ sacrificātum succēdēbant.

4. Eleusīnia fēriæ erant in honōrem Cereris; sōlemnis pompa per Atticōs agrōs tendēbat Eleusīn : ibi Athēniēnsēs nocturna sacrificia et mystēria et epulās celebrābant.

5. Lætiōra autem erant Lēnææ, in quibus — post vīndēmiārum finem — cantantēs, saltantēs, per urbem dēambulantēs, juvenēs cum strepitū deum Bacchum invocābant.

6. Graviōrēs et illūstriōrēs fuerunt illæ eīusdem Bacchī fēriæ, quās Athēniēnsēs Dionysia appellāverunt. Nam tunc in theātrō, incipiente vĕre, per trēs

2. CŌPIAM est apposé à *nummōs*.

diēs, ā māne usque ad vesperum scēnicōs lūdōs spectābant.

7. In orchēstrā, circum deī āram chorus canēbat et saltābat; āctōribus tragœdiārum erant cothurnī, et persōnæ cum grandī ōris hiātū.

8. Spectāculum fīniēbat decem jūdicum sententia, quæ optimō poētæ palmam tribuerat. Poterant autem spectātōrēs plausibus suum jūdicium indicāre.

5) *Les jeux grecs*

(*Mêmes règles*)

1. Præter propria suæ urbis spectācula, Athēniēnsēs multōs āthlētās et mūsicōs et poētās et ōrātōrēs multōs in Græcōs lūdōs certis temporibus mittēbant.

2. Illi enim lūdī, quō spectātōrum frequentia ē tōtā Græciā studiōsē conveniēbat, nōn solum corporis vīrēs sed etiam mentis et ingenīi dōtēs exercēbant.

3. Corporis certāmina erant saltus, pilī et discī jactus, peditum et bīgārum vel quadrīgārum cursus, pugilātus et pancratium.

4. Quattuor erant magnī lūdī : Nemæi, Pythiī, Isthmiī, in honōrem Herculis, Apollinis, Neptūni; dēnique Olympicī, omnium celeberrimī.

5. Post quadriennium celebrēbantur Olympiæ, ubi amplum magnificumque templum Jovī ædificātum erat : hoc in templō Phīdiās deī auream et eburneam statuam quadrāgintā pedēs altam ērēxerat.

6. Ante lūdōs, mōs erat sacrificia et pompās deōrum dominō cōficere. Sic omnibus fēriīs et dēlectāmentis Græcī adhibēbant religiōnem.

7. Victōribus palma dabātur, vel oleāgina corōna, nōnumquam tripūs. Eōsdem in suā patriā cīvēs cum magnīs plausibus excipiēbant, et eōrum laudēs canēbant poētæ.

XX

La guerre du Péloponnèse

Tournures particulières au latin

1. Græciam perdidēre cīvitatū dissēsiōnēs. Athēniēnsium glōriæ et potentiæ invida, Sparta Corinthiōs et Thēbānōs adversus Athēniēnsīs concitāvit.

2. Initiō bellī, cum rēs Athēniēnsibus prōsperē ēvenīrent, horrenda pestis urbem et Atticōs agrōs vastāvit ; ipsum Periclem corripuit et cōnfēcit.

3. Cum certāmen varium et anceps esset, auctōre Niciā Athēniēse, indūtiās adversārii fēcerunt.

4. Tunc appāruit Alcibiadēs, Periclis nepōs, Athēniēsiūm ēloquentissimus et pulcherrimus et audācissimus; iste nōbilis vir sē populārem hominem esse prædicābat.

5. Monente Alcibiade, Athēniēnsēs classem ingentem instrūxerunt; bellum incautē Siciliam trānsvēxerunt; Syrācūsās, flōrentissimam Dōricārum colōniārum, obsēderunt.

6. At ipsī ā Spartānō Gylippō superātī sunt; tōtum exercitum, tōtam classem amiserunt; captivī in lautu-miis famē et morbīs sunt mācerātī (415-413).

7. Jūre philosophī dīcunt fortūnam esse incōnstantem. Nam Athēniēnsēs, post tantam clādem, Alcibiade et Conōne ducibus, plūrimās in Asiæ litore maritimās victōriās reportāverunt et Bȳzantium occupāverunt.

XXI

Siège et ruine d'Athènes

(Mêmes règles)

1. At rūsus Lacedæmoniī, cum Persārum pecū-niam et auxilium sine verēcundiā sollicitāvissent,

Lýsandrō imperātōre, in nāvālī pugnā Athēniēnsīs dēvicerunt (405), et captīvōrum jugulāverunt tria mīlia.

2. Tum Lýsander Athēnās obsēdit. Cum Athēniēnsēs neque nāvīs neque sociōs neque cibāria habērent, fortiter tamen restiterunt; at, famē urgente, tandem sē dēdiderunt.

3. Imperantibus Spartiātīs, Longōs Mūrōs — Pīræi et urbis mœnia — vīctī diruerunt; intereā mūsicī tibiīs cantābant et hostēs, quī flōribus sua capita coronāverant, tam trīste spectāculum īnspiciēbant lætī (404).

4. Cīvitātī imposuerunt trīgintā magistrātūs, quī libertātis dēfēnsōrēs crūdēliter vexāverunt, mīlle et quīngentōs cīvēs intrā octo mēnsīs interfēcerunt; et propter odiōsam sævitiā Trīgintā Tyrannī sunt appellātī.

5. Tandem Thrasybūlus Athēniēnsis, cum aliquot exsulēs congregāvisset, in Pīræum dēscendit; ā cīvibus in urbem vocātus est, arcem occupāvit, tyrannōs ējēcit; Solōnis administrātiōnem restituit (403).

6. Sic antīquam libertātem Athēnæ recuperāverunt; numquam autem jam prīstinum reppererunt imperium.

XXII Socrate

Récapitulation générale

1. Multī tamen virī veterem in cīvitāte litterārum et hūmānitātis laudem retinēbant. Inter eōs tunc ēminuit philosophōrum modestissimus, quī illustrissimōs philosophiæ magistrōs educāvit et ideō philosophiæ pater est nōminātus.

2. Is fuit Sōcratēs, pauper et dēfōrmis; eum Silēnō, ob sīmum nāsum et barbam spissam et amplum ventrem dērisōrēs comparābant; audītōrēs autem dīvinīs vōcibus alliciēbat.

3. Nōn scholam habuit; nihil scrīpsit; nūllam præceptiōnum mercēdem requisīvit; sed in forō, in viīs, omnīs quibus occurrēbat interrogābat et, cum familiāriter dīceret, ad nōtitiam suī, ad sapientiam, ad virtūtem fōrmābat.

4. Dictitābat sē nihil scīre, et aliī rūsus, Sōcrate magistrō, sē quoque nihil scīre agnōscēbant.

5. Docēbat autem Deum esse, immortālīs esse animōs. Īdem falsōs ōrātōrēs, et superbōs philosophōs, et ambitiōsōs plēbis laudātōrēs nūdāre solēbat.

XXIII

Procès et mort de Socrate

Récapitulation générale (suite)

1. Tanta dīcendī simplicitās quibusdam cīvibus displicuit, quī calumniās per populum, crēdulum et irācundum, sparserunt.

2. Ita Sōcratēs, hominum jūstissimus, et maximē pius, ab Anytō coriāriō, et Melitō poētā ineptō, et Lycōne rhētore, accūsātus est: audēbant istī assevērāre Sōcratem juventūtis esse corruptōrem.

3. Coram jūdicibus, causam ipse Sōcratēs sine patrōnō, nōn sine quōdam fastīdiō **dēfendit**: immō prō meritis cotīdiānum in Prytanaēō vīctum postulāvit.

4. Irā incenderunt jūdicēs tam superba verba, et illī Sōcratem capite damnāverunt.

5. Trīgintā diēs, cum supplicium expectāret, Sōcratēs in carcere mānsit. Cum discipulis ibi dē philosophiā disputābat; et, cum fugiendī cōnsilium darent amīcī, abnuit; nam lēgēs esse sacrās affirmābat.

6. Tandem advēnit suprēmus diēs. Tōtum illum sermōnibus cōnsūmpsit, tranquillus semper et serē-

nus, et dē morte mirabilia expressit verba — quæ nobis tradidit illius discipulus Platō.

7. Ad vesperum, flentibus omnibus amicis, flente ipsō tortōre, cicūtā ipse poposcit; et sine ullō questū, dīvinæ iustitiæ fidēs, animam efflāvit.

XXIV

Xénophon et la retraite des Dix Mille

Récapitulation générale (suite)

1. Ūnus Sōcratis discipulis fuit Xenophōn, quī memorabilia suī magistrī dicta cōscripsit et varia quoque, vel historica vel mōrālia, opera reliquit.

2. Cum vēnātiōnem et itinera amāret, ab amicō Proxenō, conducticiōrum militum duce, invitātus est ad iūcundam, ut dicēbat ille, peregrinātiōnem.

3. Rēvērā, Cȳrus Jūnior, quī Proxenī et aliōrum Græcōrum ducum militēs coēgerat, frātre suum Artaxerxem rēgnō Persārum expellere cupiēbat.

4. At Cȳrus, cum in pugnā victor esset, mortiferum vulnus accēpit. Græcōs autem ducēs Artexerxis satrapēs, Tissaphernēs, in colloquium vocāvit et per insidiās interfecit.

5. Græcīs nūllus jam erat dux, nūllus vīctus; longē ā patriā quīngentās leucās, inter hostīlis gentīs, aberant. In summam vēnerunt dēspērātiōnem.

6. Tandem castrēse concilium habuerunt : novōs ducēs ēlēgerunt; Xenophontem ipsum imperātōrem creāverunt.

7. Inde recessum illum incēperunt, quī Decem Milium recessus appellātus est, cujus ipse Xenophōnō lūcidam et vīvidam nārrātiōnem trādīdit.

XXV

La retraite des Dix Mille (*suite*)

Récapitulation générale (suite)

1. Græcī ūnam salūtis viam esse cēnsēbant, scīlicet ad mare, septemtriōnem versūs, iter facere.

2. Itaque Tigridem flūmen adversā rīpā lēgerunt, cum perpetuōs Tissaphernis impetūs repellerent et diēs atque noctēs pugnārent.

3. Dein montānōrum īnsidiæ et sagittæ eōs lacessīverunt, cum sæpe vīctūs dēficerent.

4. Jam hiems appropinquābat : nix Græcōs in mediīs montibus dēprehendit; multī violentia frīgōris exanimātī, multī oculīs prīvātī sunt.

5. Post īfinītōs labōrēs, montem ascenderunt, cūjus alterum latus Pontum Euxīnum spectābat. Tunc prīmī clāmāre : «Mare! Mare!»; currere cēteri, hostem appropinquāre crēdentēs; omnēs dēnique lacrimās nōn tenēre.

6. Illicō, nēmine monente, mīlitēs certātīm lapidēs coacervāverunt, tropæumque ērēxerunt grātiās Superīs agentēs.

7. Quīndecim mēnsīs perīcula et gravissimōs labōrēs tolerāverant Xenophontis commilitōnēs : mille sēscentārum leucārum spatium pedestrī itinere peragrāverant. Quis neget tantam virtūtem, tantam cōstantiam ferē suprā vīrēs esse hominum?

LA CHUTE DE L'INDÉPENDANCE GRECQUE

XXVI La suprématie de Thèbes

Récapitulation générale (suite)

1. Spartiātæ, cum Athēniēnsium potentiam prōstrāvissent, Græcās civitatēs asperē et superbē habuerunt, et omnium invidiam in sē commoverunt.

2. Imperium suum cōfirmātūrī, turpissimam, auctōre Antalcidā, cum Persīs pactiōnem fēcerunt, et istīs perpetuīs Græciæ hostibus omnīs Græcās Asiæ Minōris colōniās trādiderunt (387).

3. Paulō post, approbante Spartā, Phœbidās per prōditiōnem occupāvit Thēbās (382), quās vir generōsus et fortis, Pelopidās, cum parvā exsulum manū liberāvit (379).

4. Illum adjūvit amīcus Epaminōndās, nōbilis et pauper, strēnuus et hūmānus vir. Ambō ad disciplinam militārem Thēbānōs fōrmāverunt et sacram cōstituerunt cohortem, in quam nōmen trēcentī ingenuī juvenēs, mortem prō patriā sine timōre accipere parātī.

5. In pugnā Leuctricā, illa memorābilis cohors hostīs dēvicit (371); Lacedæmoniī, quī sē invictōs esse prædicābant, ē vetere bellātōrum fāmā sunt præcipitātī.

XXVII

Philippe de Macédoine (360-336)

Récapitulation générale (suite)

1) Les débuts de Philippe

1. Philippus rēx Macedoniam, inter populōs diū ignōbilem, in lūcem prīmus vocāvit.

2. Is, quī trēs annōs Thēbīs obses habitāvit, Græcam institūtiōnem accēpit, ēloquentiæ et artis militāris præcepta ēdidicit : ita, strēnuus ut Barbarus, acūtus mente ut Græcus fuit.

3. Prīmīs rēgnī annīs, dissēsiōnēs domesticās composuit, vicinās gentēs domuit, imperiumque ab omnī impetū externō tūtum præstitit.

4. Græciæ civitatēs, quæ imperāre singulæ cupiēbant, in mūtuum exitium omnēs ruēbant : hæc Philippus discidia exercēre statuit, et ita ūniversās in servitūtem redigere.

5. Disciplinam autem militarem restituere necesse erat : severis legibus omnes milites et ducēs obstrinxit, et phalangem, firmam gravemque manum, constituit.

6. Tandem, cum multas belli machinas et immensam aurī cōpiam paravisset, Thēbanōs primum devicit, deinde Olynthum, opulentissimam et potentissimam urbem, cepit et delēvit.

2) *Dēmsthène (384-322)*

1. At Philippus gravissimōs sibi hostis futurōs esse nōn ignōrābat Athēniēnsēs, Græciæ libertātis semper dēfēsōrēs.

2. Athēniēnsibus autem fuit, illō tempore, omnium orātōrum ēloquentissimus simul et fortissimus et perspicāssimus, Dēmsthēnēs.

3. Idem, cui nātūra quāsdam corporis virtūtēs abnuerat, tenācis voluntātis cōstantissimique labōris exemplar ēdidit.

4. Nam balbam linguam et tenuem vōcem exercitātiōne domuit, calculōs in ōs conjiciēns, prō flūctibus dēclāmitāns, longē ā forō sōlitāriam labōriōsamque vītā agēns.

5. Tandem cum jam suī compotem sē sentīret, in forum revertit et perpetuō vehementibus contiōnibus

dolōsa cōnsilia indicāvit, cīvium sēgnitiam increpuit, bellum Athēniēnsibus ipsīs imminēns dēnūntiāvit.

6. At multōs et asperrimōs adversāriōs habuit, aliōs in ipsā cīvitāte Philippī famulōs et pecūniā avidōs, aliōs assentātōrēs populī, quī labōrēs et mīlitiam et tribūta reformidābat : omnibus nōn sine fortitūdine Dēmōsthenēs vēra semper dixit.

3) *Bataille de Chéronée (338)*

1. Vāna nōn fuit Dēmōsthenis ēloquentia : nam multæ cīvitātēs, imprimīs Thēbæ, adversus hostem commūnem Athēniēnsibus sē jūnxerunt : quāsdam autem ad Philippum bellī metus trāxerat.

2. Ad Chærōnēam, Bœōtiæ urbem, castra posuerunt ambō exercitūs ; ut autem Athēniēnsēs sociique mājore mīlitum numerō præstābant, ita Macedonēs virtūte et bellōrum assiduōrum cōnsuetūdine prævalēbant.

3. Itaque Græcī ingentem, nōn ignōminiōsam autem, clādem accēperunt ; nam multī fortiter pignantēs in locō ceciderunt. Eōrum fortitūdinem Dēmōsthenēs magnificā ōrātiōne celebrāvit : jūrāvit eōs præclārīs illīs Marathōniūs et Salamīniūs bellātōribus nōn fuisse indignōs.

4. Nōn moderatē in Thēbānōs Philippus sē gessit ; nam Thēbānōrum captīvōs, cīvitātis prīncipēs vel

secūri percussit vel in exsilium redēgit, bona omnium occupāvit; Athēniēnsibus autem, quōs tamen sibi infēnsissimōs vīderat, captīvōs grātis remisit et mortuōrum corpora sepultūræ reddidit.

5. Græcōrum prīncipātum Philippus cum jam tenēret, bellum adversus Persās inceptūrus erat et sē Mēdicōrum bellōrum contumēliās vindicātūrum esse prædicābat; at tum Pausaniās, nōbilis ex Macedonibus adulēscēns, eum trucidāvit.

XXVIII Alexandre

Récapitulation générale (suite)

1) Alexandre soumet la Grèce

1.

Philippo Alexander filius, cognomine Magnus, successit : juvenis ille fortis animo, corpore validus, litteris et artibus indulgebat et Aristotelis, doctissimi philosophi, præcepta diligenter audierat; idem Homeri versus studiose lectitabat.

Sub Philippi mortem, Alexander vicesimum annum agebat; gloriæ avidus, Achillis exemplum et præclara facinora renovare cum cuperet, concilium

Græcorum omnium convocavit et imperium univ-
ersarum copiarum, cum quibus adversas Persas erat
pugnaturus, impetravit.

Mox autem, cum rumor pervasisset regem,
contra Illyrios dimicantem, occubuisse, Græci,
auctore Demosthene, rebellaverunt.

Alexander, ira ardens, maximis itineribus
contra Thebanos incessit, et, adjuvante Macedonico
præsidio quod erat in urbe, hostis cruenta victoria
profligavit.

Urbem Thebanorum Alexander diruit, agros
inter victores divisit, triginta milia captivorum vendi-
dit : uni tamen Pindari vatis domui pepercit.

Atheniensis, quos tam atrox ultio terruerat,
rebellionis pænitentia cepit; itaque legatos Alexan-
dro miserunt, pacem petentis.

Rex præcipuos Atheniensium duces et oratores,
imprimis Demosthenem, obsides expostulavit. Mox
tamen, languescente furore, et intercedente Phocione,
Alexander ignovit, et barbarorum morum ille
contemptor Athenas, artium inventrices et Græciæ
lumen, inviolatas reliquit.

2) Alexandre en Asie

1. Philippō Alexander filius, cognōmine Magnus,
successit : juvenis ille fortis animō, corpore validus,

litteris et artibus indulgēbat et Aristotelis, doctissimī philosophī, praecepta diligenter audierat; idem Homērī versus studiōsē lēctitābat.

2. Sub Philippī mortem, Alexander vīcēsimum annum agēbat; glōriā avidus, Achillis exemplum et praelāra facinora renovāre cum cuperet, concilium Græcōrum omnium convocāvit et imperium ūniversārum cōpiārum, cum quibus adversās Persās erat pugnātūrus, impetrāvit.

3. Mox autem, cum rūmor pervāsisset rēgem, contrā Illyriōs dīmīcantem, occubuisse, Græcī, auctōre Dēmosthene, rebellāverunt.

4. Alexander, irā ārdēns, maximīs itineribus contrā Thēbānōs incessit, et, adjuvante Macedonicō præsidiō quod erat in urbe, hostīs cruentā victōriā prōfligāvit.

5. Urbem Thēbānōrum Alexander dīruit, agrōs inter victōrēs dīvisit, trīgintā mīlia captīvōrum vēndidit : ūnī tamen Pindarī vātis domū pepercit.

6. Athēniēnsīs, quōs tam atrōx ultiō terruerat, rebellātiōnis pēnitentia cēpit; itaque lēgātōs Alexandrō miserunt, pācem petentīs.

7. Rēx praeциpuōs Athēniēnsium ducēs et ōrātōrēs, imprīmīs Dēmostenem, obsidēs expostulāvit. Mox tamen, languēscēte furōre, et intercēdente Phōciōne, Alexander ignōvit, et barbarōrum mōrum ille

contemptor Athēnās, artium inventricēs et Græciæ lūmen, inviolātās reliquit.

3) Alexandre en Syrie et en Égypte

1. Tum Alexander in Phoenīciam intrāvit, ubi multi Orientis rēgēs cum dōnīs illī advenientī obviam prōcesserunt. Ex his aliōs in societātem recēpit; aliis rēgnum adēmit.

2. Tyrus et clāritāte et magnitūdine omnīs Phoenīciæ civitātēs superābat; ideō Tyrii Alexandrō aditum urbis petentī dēnegāverunt. Rēx, irā flagrāns, Tyrum obsidere statuit et post septem mēnsis occupāvit; incolās omnīs in servitūtem redēgit et vēndidit.

3. Inde prōcessit ad Ægyptum, quam tōtam sine certāmine in dēditiōne recēpit. Juxtā Nīlī ōstium Alexander amplam, cūjus ipse fōrmam dēscrīpsit, condidit urbem, quam ex suō nōmine Alexandriam appellāvit.

4. Deinde Jovis Hammōnis ōrāculum cōsultūrus ad Occidentem dēflexit. Eum templī sacerdotēs cum Jovis filium salūtāvissent, terrārum omnium rēctōrem fore responderunt. Posthāc secundum ipsīus jussa, Macedonēs Alexandrō honōrēs tribuerunt dīvinōs.

4) Ruine de l'empire perse

1. Cum jam omnium maritimārum prōvinciārum imperium tenēret, Alexander, tōtius Asiāe dominus ūnus esse cupiēns, adversā ripā prāter Euphrātem flūmen iter fēcit et apud Arbēla ingentem Dārīi exercitum impugnāvit. Prōflīgāvit inōrdinātam Parsārum turbam mīlitāris Macedonum disciplīna (331).

2. Illa clādēs Persārum fortūnam et dominātiōnem in perpetuum refrēgit. Babylōnem et Sūsa et Persēopolim, caput rēgnī Persicī, refertam orbis terrārum spoliīs, et Ecbatana, caput Mēdiāe, Alexander occupāvit.

3. Dārīum fugientem, quem jam captūrus erat Alexander, Bessus satrapēs trucidāvit. Interfectōrem Alexander morte pūnīvit et honōrēs Dārīō tribuit rēgiō.

4. Persārum totiēs victor, Alexander Mēdicōrum bellōrum injūriās vindicāverat. Attamen ipse Persicō luxuī jam indulisit. Persicam vestem sūmpsit, novīs mōribus commilitōnēs offendit, nullā vituperātiōnis patiēns.

5) Alexandre dans l'Inde. Sa mort.

1. Tandem ad Indōrum fīnēs contendit; nam hanc regiōnem dīvitiīs ēnormibus et prōdigiosīs animālibus abundāre viātōrēs dictitābant.

2. Rēgem Pōrum, in cūjus exercitū erant centum octōgintā elephantī, dēvicit; at bonīs nōn spoliāvit, sed ut rēgem habuit.

3. Cum longius usque ad Gangem flūmen prōcēdere cuperet, mīlitēs, quōs tot labōrum lassitūdō cōnficiēbat, reditum in patriam efflāgitāverunt. Alexander, prīmō incertus, īfausta auguriōrum ōmina esse audiit: cōnsilia igitur ambitiōnis plēna abjēcit, et in Babylōniōs finēs cōpiās redūxit.

4. Immēsum suum imperium lēgibus temperāre incipiēbat et omnium terrārum lēgātōs excipiēbat atque etiam expeditiōnēs novās excogitābat; sed eum subita febris invāsit et post decimum diem cōnfēcit. Tricēsimum tertium annum tum agēbat (323).

5. Tantī rēgis tam immātūræ mortī illacrimāverunt dolenter et Macedonēs et Persæ et ipsa Dārī māter, Sisygambis.

6. Fuit illī incrēdibilis animī vīs, labōris patientia inxsuperābilis, fortitūdō temerāria, liberālītās ēgregia, summa in hostīs clēmētia. Fuerunt quoque eīdem īsignia vitia, scīlicet extrēma in īram prōpēnsiō, vīnī nimius amor, glōriæ laudisque cupiditās immodica.

7. At victōriārum numerō et celeritāte, juventæ venustāte, ipsā etiam vītæ brevītate immortalē posterīs memoriā reliquit.

8. Quærentibus familiâribus : « Quem tū imperiī facis hērēdem? » responderat : « Dignissimum. » Prædixerat autem multās, post suam mortem, inter Macedonum ducēs fore contentiōnēs : et ita evēnit.

6) *Soulèvement de la Grèce*

1. Post Alexandrī mortem, Athēniēnsēs et Ætōli bellum, quod jam illō vivō mōverant, summīs vīribus instaurāvēre.

2. Dēmostenem, quī tum exsulābat, suī cīvēs revocāverunt. Ille orātor rūsus Græcōs ad libertātem ārdenter incitābat.

3. Primum Leosthenēs, dux Athēniēnsium, Macedonēs apud Lamiam vīcit ; sed ipse in pugnā mortiferum vulnus excēpit. Mox autem Athēniēnsīs et sociōs apud Crānōnem, Antipater, Macedonicārum cōpiārum imperātor, prōfligāvit.

4. Victor Dēmostenis, ēloquentissimī simul et infēstissimī hostis, trāditiōnem sibi efflāgitāvit. Fūgerat ille in īnsulam Calauriam. Appropinquantibus Macedonibus, venēnum, quod in stilō cēlāverat, sūmpsit, et in Neptūnī fānō, prō deī statua, cecidit (322).

5. Animam efflante Dēmosthene, libertātis extrēmum spīritum ēdidit ipsa Græcia.

XXIX

Les dernières luttes en Grèce

1. Trīgintā per annōs Macedoniam cīvīlia bella, Græciam tyrannī lacerāverunt.

2. Tandem strēnuus juvenis, vīgintī annōs nātus, Arātus nōmine, patriæ vīrīs restituere dēcrēvit. Cum Sicyōnem, suam cīvitātem, ā tyrannīs liberāvisset, multās Græcās urbēs in societātem adjūnxit et inde Achæum concilium cōstituit.

3. Sic et Argīvī et Athēniēnsēs et plūrimī Peloponnēnsēs in Græciæ liberātiōnem cōsēserunt.

4. Ætōlī autem, montānī et bellicōsī virī, societātem et ipsī inter sē contrāxerant et Ætōlicum concilium fōrmāverant, ad quod omnēs mediæ Græcæ et nōnnūllæ Peloponnēsī gentēs accesserunt.

5. Ambō igitur illa concilia Græcīs oppidīs Macedonica præsidia expulerunt.

6. Sed Spartiātæ, aliōrum Græcōrum semper æmulī et suārum privātārum rērum studiōsī, in certāmen cum Achæīs et eōrum sociīs dēscenderunt : ita Achæīs necesse fuit in fidem Macedonum primum sē committere, deinde Macedoniæ imperiō sē subjicere.

7. Quārē ultimam libertātis spem Græcī perdidērunt. Arātum vērō Philippus, ut vērīsimile est, venēnō interfēcit (213).

XXX

La Grèce réduite en province romaine

1. Jam autem Rōmānī suās victōriās propāgābant, Macedoniam impugnābant, Græcis minās intendēbant. Tunc vir ūnus cīvīlī virtūte simul et bellicā arte antīquōrum Græcōrum laudem æquāvit : Philopœmēn Megalopolītānus.

2. Is, Achæī cōnsiliū dux , sociōs militārī disciplīnæ adsuēfēcit et Rōmānārum legiōnum militibus parēs reddidit. Sed, hortātrīce Rōmā, adversus illum rebellāverunt Messēniī; fortiter pugnantem cēperunt et senem, quī septuāgēsimum annum agēbat, venēnō turpiter interfēcerunt (183).

3. Haud multō post, Rōmānī Achæōs dēvīcerunt, urbem Corinthum, cōnsule Mummiō, dīruerunt, Græciam dēnique tōtam in Rōmānum redēgerunt prōvinciam, quam appellāverunt Achāiam.

4. Sed Græciam armīs tantum Rōma superāvit; nam illa artium liberālium et hūmānitātis patria, rudium Rōmānōrum posteā fuit ēducātrīx : itaque clārissimus ille poēta Horātius jūre dīxit :

Græcia capta ferum victōrem cēpit.

TABLE DES MATIÈRES

LES ORIGINES.....	2
La Grèce.....	2
Les premiers habitants de la Grèce.....	3
Les dieux.....	4
Les dieux (suite).....	5
Les héros. Les demi-dieux.....	7
La guerre de Troie.....	8
La guerre de Troie (suite).....	9
LES DÉBUTS D'ATHÈNES ET DE SPARTE.....	10
Lycurgue et Sparte.....	10
Les lois de Lycurgue.....	11
Les lois de Lycurgue (suite).....	12
Athènes ; Solon.....	13
Pisistrate et ses fils.....	14
LES GUERRES MÉDIQUES.....	16
Première guerre médique : bataille de Marathon (490 av. J.-C.).....	16
Deuxième guerre médique : préparatifs de Xerxès.....	17
Les Thermopyles.....	18
Bataille de Salamine (480 av. J.-C.).....	19
Platées et Mycale (479 av. J.-C.).....	20
Fin des guerres médiques.....	21
LE VE SIÈCLE AVANT J.-C.....	22
Périclès et son siècle.....	22
1) Périclès.....	22
2) Les arts.....	23
3) Les lettres.....	24

4) Les fêtes athéniennes.....	25
5) Les jeux grecs.....	27
La guerre du Péloponnèse.....	28
Siège et ruine d'Athènes.....	30
Socrate.....	31
Procès et mort de Socrate.....	32
Xénophon et la retraite des Dix Mille.....	33
La retraite des Dix Mille (<i>suite</i>).....	34
LA CHUTE DE L'INDÉPENDANCE GRECQUE.....	36
La suprématie de Thèbes.....	36
Philippe de Macédoine (360-336).....	37
1) Les débuts de Philippe.....	37
2) Démosthène (384-322).....	38
3) Bataille de Chéronée (338).....	39
Alexandre.....	40
1) Alexandre soumet la Grèce.....	40
2) Alexandre en Asie.....	41
3) Alexandre en Syrie et en Égypte.....	43
4) Ruine de l'empire perse.....	44
5) Alexandre dans l'Inde. Sa mort.....	44
6) Soulèvement de la Grèce.....	46
Les dernières luttes en Grèce.....	47
La Grèce réduite en province romaine.....	48